

F.K. 53. (10)

X 2047592



RUTHENICUS
CHRYSOSTOMUS,
HOC EST,

*Vir quondam plurimum Reverendus, Amplissimus
atque Excellentissimus,*

**DN. HEINRICUS
CONRADI,**

SS. Theologiæ Licentiatus, Ecclesiæ Geranæ
Pastor ac Superintendentis, Consistorii Rutheno-Plaviensis

Adsesor Primarius, & Gymnasii Inspector.

Gravissimus,

BREVI DISSEXTATIONE

descriptus.

QVA

Plurimum Venerandos

**DNN. INSPECTORES,
OMNES ITEM OMNIUM OR-
DINUM SPECTABILES AC E-**

RUDITOS VIROS,

Ad parentale Epos,

PIISSIMIS EJUSDEM MANIBUS

Sacrum,

Cras, Hora X. Antemerid. in Acroaterio novo

publicè recitandum,

Eā, quā decet, observantiā, humanitate & amore

INVITAT

M. JOHANNES FRIDERICUS Röber/

Illustris Ruthenei RECTOR.

G E R M A N I A,

TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.





Amolxin in memoriis veterum
legimus, cum Pythagora, Philosopho-
rum primo, Præceptore ac Domino suo
ut æquissimo, ita & svavissimo, ad Æ-
gyptios, celeberrimum eā ætate popu-
lum, penetrâsse; quorum ritus cum se-
cum in patriam deinde deduxisset, à suis
(erant hi Getæ) ut & Thracibus, pro Saturno agnatum, &
post mortem in Deorum numero habitum fuisse: cui & vi-
ctimis humanis facere solebant, quod legationem vocabant
ad Deum suum; prout post Herodotum, Patrem illum hi-
storiæ, tradit Hesychius Milesius, Illustrius vulgo, dignitatis
notâ in cognomentum per errorem abeunte, dictus. Ita ni-
mirum veteres illi, à vera veri D ET notitia maximè alieni,
quemvis unctum adorabant lapidem, &, quem in vita ad-
mirabantur præter cæteros, cum in Dcorum loco ac nu-
mero censebant post mortem. Absit hos imitemur erro-
nes, qui rectius instructi per DEI gratiam, quis cultu pie-
tatis prosequendus sit ac devotè venerandus, non ignora-
mus. Evidem nefas esto, abolere velle præclarè merito-
rum memoriam, & ex animo dimovere: inde autem neu-
tiquam consequitur, quod divinis illi honoribus sint co-
lendi, quos nec ipsi avert, & DEUS, cui is debetur so-
li, meritò abominatur. Quare optimè faciunt, qui pro
suâ in defunctos reverentiâ, venerabiliter, quod priscio-
rum nonnemo suadet, recordantur, eorumque identidem
memoriam restaurant. Atque idcirco nec malè, nec præ-
ter ordinem facturos nos putamus, si, qua par est, pietate re-
cordamur denuò cum animis nostris, quantus, quām egre-
giè

de Ecclesia nostra meritus antidhac fuerit **VIR QVONDAM** (heu quondam !) **PLURIMU M REVERENDUS, AMPLISSIMUS, ATQVE EXCELLENTISSIMUS DOMINUS HEINRICUS CONRADI,** SS. THEOLOGIÆ LICENTIATUS, ECCLESIAE NOSTRATIS PASTOR, EJUSDEMQUE ET VICINARUM SUPERINTENDENS GRAVISSIMUS, CONSISTORII RUTHENO-PLAVENSIS ADSESSOR PRIMARIUS, UT ET RUTHENEI ILLUSTRIS EPHORUS VIGILANTISSIMUS. Etsi enim memoria hæc pectora piorum non potest non effodere & lacinare quodam modo ; præstat tamen in candem regredi interdum, quàm,

pocula Lethæos ut si ducentia somnos

arente, ut cum Horatio loqui liceat, fauce traxerimus, eandem planè penitus exturbare animis. Cogitantibus ergò, cui potissimum ex antiquioribus par ponit queat & similis haberi **BEATISSIMUS CONRADUS**, existimatum fuit non præter rem, ex omni eorum numero ad nullum proprius Illum accedere, quàm ad Johannem Chrysostomum, Episcopum quondam Constantinoli, pietatis, doctrinæ, & facundiæ imprimis gloria florentissimum. Unde & Manes hujus Pientissimi nobis ignoscunt, si **CONRADUM NOSTRUM CHRYSOSTOMI RUTHENICI** insigniamus cognomento. Nihil dicemus equidem de genere utriusque, quod illi nobile, Nostro, si merita cùm in Ecclesiam, tūm & Rempublicam intueamur, non ignobile contigit. Prætereo lubens institutionis felicitatem, qua ille Athenis, Noster autem Geræ primū sub Leonhardo

A 2

Gense-

Genselio, Friderico Salzmanno, Hieronymo Gebhardo, deinceps adultior paulò Wittebergæ sub Michaele Wendlero, Wilhelmo Nigrino, Augusto Buchnero, verè augusti oris Oratore, porrò Jenæ sub Johanne Gerhardo, Theologorum nitidissimo Phosphoro, hinc Regiomonti sub Johanne Böhmio, Abrahamo Calovio, ac tandem Lipsiæ sub Carpzovio, Webero, præcipue Hulsemanno, Viris omni encomio majoribus, & post fata etiam celeberrimis, disponente gratia divina, fruitus fuit. Hæc enim aliis, qui eodem tempore Musis litarunt, communia cum Nostro potuerunt esse. Id verò proprium ipsi & peculiare fortassis fuit, quod, et si varia jam locupletatus eruditione, abstrahendus à studiis, & mercaturæ ac negotiationibus dicandus fuit; perinde ut Chrysostomus, Socratis testimonio, ad res forenses perimitus adjecerat animum, causarum patronus, pro sollicitis non tacitus rei. Verùm ut hic illò vitæ generè, tanquam improbo & iniquo, (quæ verba Socratis jam dicti sunt) rejecto, ad Ecclesiæ navandam assiduè operam, instinctu divino se contulit: ita Noster non tam Parentis optimæ voto, quàm occulto quodam mentis impetu Mūsis potius, quam Mercurio indulso nexu adhæsit, & divinarum rerum intelligentiæ, quam vetustissimo vocabulo Theologiam vocamus, aliis omnibus curis & cogitationibus ex animo abjectis atque abdicatis, totum se dedicavit. Longè nimirum secius ingeniatus, quàm qui hodiè literarum studiis dediti esse volunt, qui, nescio qua impulsi nausea, quodvis aliud liberale studium, quam Theologicum sibi præscribi patiuntur aut inculcari, perperam rati, non fore pretium operæ, si illi dedant se studio, quo nec rem facere liceat, nec ad altius dignitatum eniti culmen. Adeò gloriæ propriæ posthabetur quandoque, per insignem imprudentiam, divina, &c, quod ad quæstum refertur ac lucrum, plures invenit amasios, quàm arcانum illud & inaccessum profanis secretum, quod habitat DEUS, & implet æternitas. Imprimis vero immortalem sibi nominis gloriam Chrysostomus sua peperit incomparabili facundiâ.

diâ. Inde enim ipsi hoc cognomen hæsit , & præterea
~~χειροπημαν~~ ex merito dictus fuit. Omnes, qui literarum pe-
riti harum sunt, tribuunt ei nativam, nudam ac venustam
Attici sermonis puritatem , cum admirabili docendi facili-
tate conjunctam , qualis nulli unquam vel eloquentissimo
Græcorum contigit. Sanè ipsi Libanio Sophistæ, quò Præ-
ceptore in hac arte usus fuit , & qui apud omnes in elo-
quentia præclarissimus habebatur, magnæ admirationi fu-
it ; Id quod ex singulari hujus ad illum epistola probatum
dedit Isidorus Pelusiota, utrique suppar , & fide adeò dignis-
simus. Cui pollicem omnino premit Anianus, pervetus
Chrysostomi interpres, qui in hoc æqualem dicendi me-
diocritatem sponte sua ac leniter fluentem , maximè col-
laudat. Quibus applaudit Suidas, cum linguam ejus Nili
cataractis uberiorem dicit, exserte addens : Nemo certè
ab omni ævo tanta dicendi copia affluxit, quanta solus il-
le abundavit , & solus absque fuco aureum illud & divi-
num nomen consecutus est. Aut omnia me fallunt, aut
idem PIENTISSIMO CONRADO NOSTRO
encomium ex vero tribuendum est , nisi, quod hic Ger-
manica id præstítit dicendi ubertate , quod ille Attico ser-
mone fecit. Quoties ille sacrum animabat suggestum,
os singulari exundabat facundia , lingua non melle , ut
Nestoris Homerici quondam, sed ipso nectare divino &
ambrosia cœlesti diffiduebat. Nihil tam retrusum habent
mysteria divina , nihil tam involutum oracula sacra , quod
disertissimum **CONRADI OS** explicare , illustrare , &
verbis maximè perspicuis in luce ponere manifesta non po-
tuerit. Quanta suavitas & vis inerat ejus dictis? quanta u-
bertas & gratia eum, quoties diceret de suggestu, sequeba-
tur? Putases nectaris fontes & favos mellis ex labris illius
dimanare , cum spes veniae facienda pœnitentibus, cum tri-
stes clementiæ divinæ solatio recreandi, cum , quâ ad cœ-
lum viâ itur , simplicioribus ostendendum. Adeò lecta
beataque verborum ac sensuum copia eum perpetuò cir-
cumfluebat, ut rectè eum medullam Svadæ dicere cum

Ennio possemus , nisi Chrysostomi cognomen nunc magis arrideret, quod vel propter insignem differendi facultatem ac copiam, Ipsi non injuria tribuimus. Quis unquam animadvertisit hæsitantem ? quis lapsantem aut verbis defectum, quorum vis & copia semper ita suppetebat, ut maximè abundaret ? Testari hoc potes , ILLUSTRISSIMA AULA ; affirmare potes, Lipsia incluta, quæ Chrysostomis hujusmodi abundas usque ; comprobare potes, quisquis BEATISSIMO , pro concione facienti verba , auscultasti. Ais : nec scriptis unquam totidem famam indeptus est Noster, perinde ut Chrysostomus , nec adversarios, ut ille, expertus, nec exultatione multatus. Scimus, & fatemur: sed quis inficias ibit , si, quæ dixit NOSTER aut scripsit , typis committerentur , aut , queis infectatus heterodoxos fuit in eruditissimis concionibus suis , ederentur, haud paulò pauciora fore , quam extant Chrysostomi ? Quot enim per viginti & octo annos , quibus faciis apud nos præfectus cum summa laude fuit , habitas fuisse Homilias dicamus; qui sæpè per hebdomadas , diebus Dominicis plerumque bis verba fecit ad cœtum Christianum , curæ suæ ac fidei commisum ? Tacemus alias alibi locorum ad Ecclesiæ ædificationem habitas. Cæterū ex pauxillis , quæ in salivam prodiere publicam , velut ex ungue leonem cognoscere est , ut meritò doleamus , negotia infinita , quibus distentus BEATISSIMUS VIR fuit , plura nobis invidisse. Pro Adversariis , quos in Episcopatu suo expertus est accerrimos Chrysostomus , pro exilio item , quod subiit innocens , adduci , & in comparationem venire possunt difficiles , longinquæ ac periculose peregrinationes , quas per orbem Europæum aliquot annos exantlavit. Præterquam enim , quod per contagiorum , bellorum etiam , ubique tunc grassantium , diritatem , nunc Jena cedere , nunc Wittebergam relinquere , nunc abire Lipsiâ , & cum aliis commutare locis , exilio quasi quodam fatali , coactus fuit ; ecquid Peregrinationes sunt aliud , quam sponte suscepsum exilium , quod à charitate patriæ , ab amplexu suorum abeundum est peregrinanti ? Adiit nimirum

rum NOSTER Belgium, ingenii hominum, mercimoniis
& armis inclutum. Hinc trajecit in Britanniam, quae trium
sceptorum conjunctione potens, & cincta mari suo undique
alium velut orbem efficit. Porro Gallias petiit, felicissimam
regionum, quae ad occidentem vergunt, cum ubertate soli
ac opulentia, tum genio dotibusque incolarum. Itineri
Gallico successit tandem Italicum, pari susceptum judicio,
nec dispari successu finitum. Animo sedebat, & Constanti-
nopolin adire, nisi Parentum literis domum revocatus esset.
Quamvis autem plurimum ubique delectaretur NOSTER
regionibus florentissimis, urbibus amplissimis, castellis mu-
nitissimis, monumentis antiquissimis, bibliothecis locuple-
tissimis, operibus ingeniosissimis: in omni tamen peregrina-
tione nihil aequè habuit pensi, quam viva virorum doctrina
illustrium sectari simulacra, quorum oraculis & consue-
tudine cum eruditior cultiorque, tum & melior ac sapientior
fieret. Omnes enim amoenitate ingenii ac cultu morumq;
comitate non difficulter sibi conciliabat. Tot igitur terra-
rum spatia dum emetitur, quoties salutem ejus & vitam in
periculum ac discrimin vocatam putabimus? In Gallia e-
quo præcipitatus, non citra sanitatis dispendium, crus fregit;
incommoda longè plura & clades perpessurus, nisi præstò
semper fuisset, qui sui timentes satis firmo Angelorum præsi-
dio tueri solet. Sed ad ultima nunc tandem properandum,
quæ utinam aut facta non essent, aut mihi non commemo-
randa! Nam quod Chrysostomo Constantinopolitanotan-
dem subeundum fuit fatum, id nec Geranus declinare aut effu-
gere potuit. Ille igitur postquam Ecclesiæ Antiochenæ ultra
duodecim annos Presbyter cum summo applausu præfuisset,
Nectario Constantinopoli in Episcopatu successit, quem ve-
rò non admodum diu, (:de annis non consentiunt scripto-
res:) nec quietè administravit. Ita sanè & **CHYSOSTOMUS**
RUTHENICUS Ecclesiastes Aulicus per complures annos,
Antistes autem Ecclesiæ Nostratis seu Ephorus per biennium
& ultra fuit, ita tamen, ut **BEATISSIMO ANTECESSORI**
Suo, Nectario nimirum Nostro, h.e. **PIENTISSIMO**
ZOP-

ZOPPIO s̄epe minus bellè valenti ac ætate fracto , subsidio
veniret,& auxiliares præstaret operas. Atq; sic in aprico est,
nec diffiteri omnino licet, CONRADUM BEATISSIMUM
non incongruè comparari & conferri ad Johannem Chryso-
stomum posse, quem tamen & ætate, (obiit hic enim, cum vix
annos LIII. vivendo fecisset) & doctrinæ puritate, quam in
nonnullis desiderant in Chrysostomo, egregiè superasset. Un-
denon est, cur memoriam BEATI intercidere venerabilem si-
namus, quippe quam æternam apud nos & nunquam peritu-
ram promeruit. Evidem corporis reliquiae apud nos in Tem-
plo Cœmeterii quiescunt, nec aliunde, ut Chrysostomi olim,
sive arcesendæ, sive transferendæ, sive, si immobiles sint, lite-
ris ad eum destinatis, expetendæ veniunt ; quas ineptias ma-
gnus Annaliū conditor affert: Ipsa v. in BEATISSIMOS Ejusd.
Manes pietas, quam debemus, nec quiescere debet, nec inter-
mori unquam. *Ipsum quā animam homo in carne vivens
videre non potest: illic enim adsistit, ubi thronus est Domini:* quæ
janitor cœlestis in visione Adelphii, qui tunc Episcopus Arabissi
(sic narrat Baronius) fuit, sorori, de Chrysostomo in cœlis non
viso, sollicitè inquirenti, respondisse dicitur. Verè CONRA-
DUS noster SANCTISSIMUS, super cœduca ista rerum mun-
danarum sublat⁹, velut in divinitatis domiciliū, & beatorum
consortium jampridem venit. Igitur nostrum est, DEFUN-
CTI memoriam colere comiter, &, quæ egit preclarè, sequenda nobis
& imitanda proponere, ut, cùm exemptus ipse sit oculis, virtutum ta-
men ejus imago maneat inter nos perpetua, & vel ad posteros propa-
getur. Cujus quidem gratiâ cum bonâ NOBILISSIMORUM HERE-
DUM veniâ, id negotii optimo cuidam Disciplinæ nostræ Alumno,
nempe Jo. HEINR. SCHMIDIO, NOSTRATI, cui⁹ eruditio partibus defungē-
dis satis habita sufficiens, commissum fuit. Hic igitur cras, Deo clemēter
annuente, totum vitæ cursum LAUDATISSIMI CONRADI Nostri
Carmine Latino Heroico sub ipsam antemeridianam X. publicè decanta-
turus est. Quo factō & Vale nostro Rutheneo dicet, variis item car-
minibus, quæ pro venâ non infeli concinnavit. Quem vel ideo, & quo-
niā pius præterea, modestus ac sedulus est, Bono cuivis ex merito
commendamus. A vobis igitur, PLURIMUM VENERABILES DO-
MINI INSPECTORES, à VOBIS etiam, VIRI OMNIUM ORDI-
NUM NOBILISSIMI, PRÆCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI,
PRÆSTANTISSIMI, enixè etiam atque etiam petimus, ut, quem
BEATISSIMO vel exhibuistis vel debuistis amorem, Defuncto nunc
probetis, & frequenti adeò ac benevolâ præsentia reapse ostendatis.
Erit hoc AMPLISSIMÆ FAMILIAE perquam honorificum & omnino gratum,
nec parum Musas nostras ad gratitudinem, observantiam & amorem obligabit
atq; obstringet. Λόγον περιπέμπειν διcessuro Amico habebit CHRISTIAN. Rich-
er/EIBENSTOCKIO Misn. P.P. Geræ Feria III. PASCHATOS, A. O.R. 80 cloc LXXXV.

F.R. 53. (19)

X 2047592

Z a
5567

RUTHENICUS
CHYSSOSTOMUS,
HOC EST,

*Vir quondam plurimum Reverendus
atque Excellentissimus*

DN. HEINR CONRAI

SS. Theologiae Licentiatus, Ec

Pastor ac Superintendens, Consistorii R
Adfessor Primarius & Gymnaſi

Adfessor Primarius , & Gymnafii Gravissimus

Gravisimus,
BREVI DISSERTA

BREVIT DISSEKTA
S. G. STUDIO d'ASSUNZIONE

descriptus. OVAL

-id amplius & plurimum Venerande

DNN. INSPECTION

DNN. INSPITERI OMNES ITEM OMNIS

OMNES ITEM OMNIS DINUM SPECTABILE

DINUM SPECIABILE RUDITOS VIROS.

RUDIUS VROS,
-OTIO TUESSIONI CITO-
Ad parentale Epo

PIISSIMIS EJUSDEM M

Sacrum, *accidens mucosum*

-H38 Cras, Hora X. Antemerid. in Act

Fā. avā decet, obseruantij human

Ea, qua decet, observantia, human
a. INVITAT.

M. JOHANNES FRIDERIC

Illustris Ruthenei REC

卷之三

G E R Å,
T Y P I S C E O S I U

